



Exercitationis medicae specimen inaugurale de abortu

<https://hdl.handle.net/1874/341869>

EXERCITATIONIS MEDICÆ
SPECIMEN INAUGURALE
DE

36
A B O R T U,

Q U O D
ADSPIRANTE NUMINE
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclyta Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi.

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Alme
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitime consequendis.

Publicè examinandum permittit

JOACHIMUSTARGIER, DORDRACENUS!

Ad diem xv. Martii, horà locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM;

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō lōc LXXXVII.

V I R O
OMNI GENERE ERUDITIONIS
INSTRUCTO,
ATQUE HOC NOMINE
LONGE CELEBERRIMO,
ANTIQUITATIS STUDIOSSIMO,
VIGILI,
EXPERIENTIA INSTRUCTISSIMO,
D. JACOBO VALLAN:

QUONDAM POTENTISSIMORUM ORDINUM
IN HISPANIAM LEGATI

MEDICO.

IN NOSOCOMIO LUGDUNI BATAVORUM

OLIM

PRACTICO FELICI,

DOCTORI SAGACI,

NUNC IN ILLUSTRITRAJECTINA ACADEMIA

PROFESSORI CLARISSIMO

PROMOTORI VENERANDO

OB FIDELISSIMAS

IN ARTEMEDICA

INSTITUTIONES,

HOC QUICQUID EST

PRIMITIARUM

OFFERO, ET INSCRIBO

OBSEQUENTISSIMUS DISCIPULUS

JOACHIMUS TARGIER.

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, c. 1. 1777.



LECTORI S.



RERUM humanarum fragilitatem atque inconstantiam, non tam rerum publicarum interitus vicissitudinesque nos docent, quam artium atque scientiarum vices instabiles. Non defuerunt omni seculo, qui scientias excolerent, sed ii, qui rerum ipsarum veritatem scrutarentur, speciatim sapientes dicti sunt. Eadem est sententia gravissimi Philosophi. Quocirca Anaxagoram Thaletem cæterosque tales viros, sapientes quidem esse dicunt; prudentes nequaquam: Cum videant eos, quæ sibi utilia sunt ignorare, atque eos fatentur recondita, atque eximia & difficilia & divina tenere, sed inutilia, quia humana bona non quærunt. Aristotel. vi. Eth. Cap. 7. Revera est veritatis genus duplex; ad aliud nos communis sensus, ad aliud purum defacatumque naturæ lumen erudit: Illud accommodatum usui vivendi, hoc omnino ad subtilem intellectus curiositatem pertinet. Quæ omnia argumento sunt, eas disciplinas, quæ ad fructum humana vitæ instituta sunt, non abstractâ sapientia, quam nobis vera philosophia promittit, exstructas esse, sed multiplici experientiâ acquisitas. Sic ars Medica, quæ hæcenus magistrâ experientiâ stetit, non admittit sapientiam, quam optime Philosophus inutilem dicit, sed prudentiam ad humanam utilitatem comparatam. Si autem qui hodie temere contendunt, Medicinam partem esse Philosophiæ, Medicina naturam, aliarumque artium proprietates non videntur satis attigisse. Eo enim modo, ut falsè ridet Flaccus,

———— Sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit: sutor tamen est sapiens.

Non dicam jam de communi artium formâ, quæ in habitu, atque operatione consistit, & tantum apud cordatos valere debet, ut saltem illiberales & sordidas

das ex philosophiâ proscribant. Affirmo id quoque de Medicina, qua à Celso rectè cum agriculturâ comparata, præterquam quod operatione exercentur, aliquam etiam videtur habere conjunctam rationem. Sed me Miserum! non est ista ratio, que ex evidenti perceptione deducta veram sapientiam gignit: Verum multiplex phenomenon observatio, qua i. simplex est, in qua nulla ratio causæ, & effectus, dein etiam composita plurium effectuum inter se similitudinem connectens. Hæc igitur (ut inquit Fernel. de Method. Medendi libr. iij.) rerum notio, quæ ex crebrâ eventuum observatione habetur, propriè dicitur experientia. Hæc quoque diligens observatio rectè superius prudentia vocatur, orta ex sensu, cujus nunquam tanta est certitudo, atque intellectus, quem solum in philosophiâ sequimur, quia media, quibus sensus utitur, fallacia sunt atque incerta. Quid an non vera scientia, ad quam illi pertinere dicunt medicinam, fidem, opinionem, probabilem conjecturam, qua præclarissima sunt auxilia, quibus hæctenus promotæ sunt medicina, excludit? An Medicina rerum, ut in & à natura sunt formas, essentias, an non corticem tantum & speciem contemplatur, utilitatem & fructum investigat? Apud eloquentissimum Celsum reperies in proœmio, sapientiæ studiosos maximè medicos esse, si ratiocinatio hoc faceret, nunc illis verba superesse, deesse medendi scientiam. De hac re cum ego omnino sim persuasus, operam me perditurum arbitratus sum, si in presenti disputatione, quam mihi scholarum consuetudo imposuit, grandi conatu materiam ex astris deducere in auxilium, si ubique insensiles particularum figuras vana plerumque imaginatione effingerem. Et tamen is non sum, qui ullam etatem à studio philosophiæ abhorruerim; sed sanioris sapientiæ interpretatione instructus alienatus sum ab eorum sententia, qui negant Medicum prudentem esse posse, nisi bonus philosophus sit. Quid an si inutilis sit in arte medica natura contemplatio (quam, ut inquit idem Celsus, temere sibi medici vendicant) non alias insignes virtutes habere potest? habet profecto easque egregias, quarum deprædicatio aliud tempus, otiumque exposcit. Hæc prælibare volui, ne, cum nullas reperiant ex philosophiâ decerptos flosculos, aliis quibus nimis frigida, jejunaque mea dissertatio videatur. VALE.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ABORTU.

§. I.



BORTUM voce unâ, atque eâdem apud Hippocratem semper expressum græcè non reperio. Modo enim *τρωσμός* est, modo *τιτρωσμός*, modo *ἐξάμβλωσις*, modo *φθoεθ'*, modo vocabula alia; ex quibus patere potest, Græcos in hoc affectu semper eandem vocem non habuisse. Sed quantum ad ultimum vocabulum, perspicuum est *φθoεθ'* valde impropiè verti *abortionem*, cum derivatum à *φθέρω* revera *perditionem*, *internecionem*, *corruptionem* &c. significet, quod clarum esse puto ex Hippocr. lib. I. de morbis mulierum pag. 185. lin. 11. ex edit. Foës. in hoc loco versio Cornarii etiam *corruptionem* habet, ut videre est ex editione Lindani text. xcvi 111. Omnium tamen clarissimus est textus I. libr. de morbis mulier. LXXXVII. nu. 10. qui videri potest. Apud Latinos est modo abortus modo abortus, in quo parva occurrit differentia, nisi quod abortum dicunt, cum fœtus ejicitur antequam vita vel motu fuisset præditus, abortum autem contra.

§. II. Dicunt autores fieri abortum, cum fœtus nondum justam magnitudinem, debitumque robur adeptus immaturè foras ejicitur. In genere justum & fixum tempus non video determinari. In hoc animadverto convenire feres omnes, quod fœtus ante septimum mensem excreti valde imbecilles sint, vixque hujus vitæ capaces. Hinc fortassis non malè, qui abortum esse dicunt, si ab ipso conceptionis momento ad septimum usque mensem dejiciatur. Nec refert, quod esse possint exempla eorum, qui vel ipso mense septimo, vel ante editi superstites fuerunt; quia neque de fide constare sæpe potest, neque eadem semper est naturæ vis & operatio, quæ in aliis ratione alimenti, seminis, roboris in Spiritu & humoribus valde diversa est. Quod etiam confirmat Fernellius consil. LIII. Additque præterea ætatem recens editi partus nullis certis indiciis cognosci; immaturos

foetus sæpe integrè absolutos, perfectos nonnunquam sine unguibus, labris, palpebris &c. apparere. Hæc tamen omnia confirmant non tam ad temporis durationem, quam ad perfectitudinem, in foetu esse respiciendum. Nos dicimus, si vel ante, vel etiam post mensem septimum (præcisum enim momentum determinari non potest, quia gestatio ad ipsum octavum mensem protracta abortum facere potest) foetus mortuus prodeat, vel ea imbecillitate, ut diu superesse non possit, pro abortu esse habendum.

§. III. Debet autem ista foetus imperfectitudo vel ratione temporis æstimari, vel ratione virium. Ita si mulier tertio vel secundo mense deiciat, nemo dubitabit, quin iusto satisque longo tempore in utero non fatus fuerit tenellus embryo. Præter hæc accidere etiam potest, ut, licet octavo vel nono mense, tempore naturali ejiciatur foetus, tanta vel in foetu, vel in matre, vel in ambobus fuerit naturæ imbecillitas, qua neque ad tantum temporis retentus foetus potuit ad fatis magnum robur increfcere: ut non ideo, licet tempus sit legitimum, verus partus, sed potius abortio sit dicenda.

§. IV. Solent fere autores ubi de abortu agunt & ea conjungere, quæ in vero & legitimo partu eveniunt, & attexere, quæ sibi de generationis, conformationisque miraculò visa sunt. Partus legitimus censerì debet, si debito tempore, ipso naturæ impulsu, completo jam foetu, vitæque capaci mulier depositum reddit: Nec determinari in hoc aliquod vel noni, vel decimi mensis momentum potest, quia etiam teste Lemnio *de occultis naturæ miraculis* iudicio prætorio septimestris foetus vitalis dictus, habitusque legitimus est: lib. iv. p. m. 447. De generatione, aut foetus formatione quid ego scribam, ubi tam varix discrepantesque doctissimorum hominum de hac re feruntur sententiæ? Galenum sibi non constare ostendit Fernelius *lib. de abditis rerum causis*. Nunc enim animam, non eam, quæ in stirpibus ex lege motus & certa partium magnitudine, atque figurâ conceditur, sed ætheriam atque coelestem opificem & principium dicit generationis, nunc eandem tam in stirpibus, quam hominibus vim & potentiam ostendit. Revera, etsi in his tenebris me fere fateor cæcutire, solius est opus naturæ, quæ hominem compingit, quatenus ex corpore constat, & quæ stirpes cæteraque bruta animantia effingit. Explosa enim est sententia eorum, qui statuunt animam ipsam opificem sui domicili. De partium delineatione in semine (sive illud ovum sit, sive materia alio modo disposita & figurata) vix videmur certi aliquid posse statuere. Constat autem partes feminis ea actione qua conceptio & conformatio fit, non solum jungi, sejungi

sejungi, & variè disponi, sed revera quoad essentiam, hoc est figuram, situm, magnitudinem multifariam mutari, ut optime advertit Velthufius libr. de generatione cap. 11. Est tamen inter hodiernos vulgatissima sententia Fieni libr. de viribus imaginationis p. m. 294. ubi hæc habet, *omnes partes in foetu simul finguntur, tam cito parvæ, quam magna, tam cito externæ, quam internæ: Et etiamsi aliqua aliis prius videntur perfectæ; omnium tamen rudimentum aque cito & eodem tempore incepit.* Alii totam conceptionem in quatuor tempora distinxerunt. Primum conceptionis, secundum formationis, tertium fabricæ, quartum pullulascentiæ erat. Ego istam Fieni (dico quod sentio) delineationem non capio. Prudentius mihi agere videnter, qui id totum negotium naturæ tradunt, quæ has primo illas ultimo partes effingit ratione necessitatis, quæ præstari debet in œconomiâ animali. Ita notat Hippocrat. lib. de natura pueri foetus omnes, quos mulieres ante trigessimum diem reddiderunt, indistinctos, qui vero ipso trigesimo, aut etiam post deponerentur, *διπλοσπυμίνες* distinctos fuisse; in puellis autem aliquam distinctionem observari posse ante quadragesimum negat; sive quod in his sanguinis atque humorum fermentatio minor, sive quod materia lentior est atque terrestrior. Ita quidem in semine materno, quod à virili congressu redditum est foecundum, statim aliqua blandaque est fermentatio, quæ materia primum subigitur, atque ita tempore in partis substantiam effingitur; sed tamen eam subactionem ita esse lentam, ut distinctio foetus ante trigessimum diem non appereat, vix credimus, cum *αὐτῆς* nobis hodie foetus xx, x, quin ut alii volunt trium dierum exhibeat distinctos.

§. V. Accidunt quidem Abortus, ut observant practici quocun que conceptionis tempore, frequentius tamen ante mensem septimum: Frequentissimè ut putat Hippocr. Lib. de Septimestri partu primis quadraginta diebus. Sylvius sepe eos observavit circa finem mensis tertii, aut quarti principium. Ratio esse potest, quod in initio gestationis aliqua quidem infueta in Spiritu, sanguine & humoribus mutatio, sed non tanta sit, quæ eam *αὐτῆς* excitare potest, quæ requiritur ad dissolvendum nexum, quo ab ipso conceptionis momento ovum aliquo modo adhæret utero. Mea enim sententia non solum statim post conceptionem uteri osculum internum exactè clauditur, sed ipsa fibrosa uteri membrana arctius constringitur, qua liber humorum transfluxus aliquo modo inhibetur. Atque hinc fortassis facile deduci possunt levia sumptomata, quæ statim gravidas nonnullas occupant, ut sunt appetitus dejectus, & dopravatus, nausea, cephalalgia levis & inordinata &c. Postea vero quam major factus est ad uterum humorum af-

fluxus,

fluxus, ut solet mense tertio & quarto, sæpe, quia tanta copia nondum pro foetus nutritione requiritur, aliqui in glandosâ uteri tunica stagnantes humores acriores evadunt, aut alio modo cacochymici majores excitant in œconomia vitali & animali orgasmos & ebullitiones, quibus, si aut generosa indole non obsistunt gravidæ, aut maturè adhibito remedio non prospiciunt foetui, non raro accidit, ut ideo hoc tempore foetus ligamenta solvantur.

§. VI. Possent huic rationi plures aliæ causæ addi, quibus accidat, ut eo tempore frequentiores sint abortus, ne videar errare communem errorem hodiernorum, qui in solvendis morbis ad unicam, eamque essentialem causam semper respiciunt. Sed malim Laconica brevitate mori satisfacere Scholarum, quam profusè & operosè congesta dissertatione moliri graviora, quam à tyrone expectari debent. Præmitto solummodo, antequam ad causas abortus pergo. 1. Raro esse unam rem solam morbi causam, sed esse plures procatarticas & remotas, ad quas, si non respicias, frustra in amovendis morbis sepe laborabis, quam curiosè etiam & subtiliter de essentiali morborum causâ disserueris. 2. ea, quæ sum recensurus in abortus causas, multifariam esse diversa ratione subjecti, quod afficiunt, & tempore, quo effectum suum fortiuntur. Ita credibile est animi affectus magis nocere gravidæ animum ante debili, quam forti, primo magis gestationis tempore, quam ultimo, in quo & sibi ipsi gravida sæpe magis constat, & nexus omnium firmior est.

§. VII. Causæ omnes, quæ proximè hic dant occasionem, commodè videntur distingui posse tripliciter. Vel enim foris adveniunt & prorsus sunt externæ, vel in solo corpore subsistunt & internæ dicendæ sunt; vel ex his ita mixtæ videntur, ut, quæ in corpore sunt, præterea ab aliis externis & adhuc presentibus foveantur. Externæ sunt ictus, casus, curruvectio, equitatio. Sic à sola brachii elevatione non semel Sylvius observavit excitatum abortum. Externis quoque adjuuge coelum, Atheraque fervidiora, aut algida, tempestatem variam & aquiloniam. Quæ quidem ultimæ, etsi valde remotæ videntur, in regionibus quibusdam sæpe tantum possunt, ut aliquando abortum *ἐπιχώριον vernaculum* faciant: Ita est in Hippocrate Libr. de aère, aq. & text. IV. Πρῶτον μὲν τὰς γυναῖκας νοσηθεῖς, καὶ ῥῶσθεας ἐπὶ ἐπιπέτῃ πολλὰς ἀτόκους ἰσθμὸν νέου, καὶ ἢ φύσει, ἐπιτέρωσεσθαι τὴν πύκνῃ. Descripserat autem Hippocrates tempestatem humidam, aquiloniam, postea inter morbos, qui familiares erant hominibus in iis habitantibus.

tibus hæc præponit. Hæc sæpe lentè massam sanguinis & humorum depascunt, & abortum faciunt. Magis subitaneosexcitat tonitru repentinum, fulmen, & quæ plura vehementius ambientem aëra commovent. Sunt fere hæc non posita in potestate gravidarum, quanquam sæpius declinare ea possunt, aut aliqua ratione regere. Sed alia est causa, quam vel superbittas excitat, vel fera corruptæ castitatis pudicitia. Scilicet, si arctius ligatæ in publicum procedunt gravidæ, constrictione liberum humoribus transitum præcludunt, & causam non raro suppeditant vel atrophix in foetum, vel inflammationi in partibus uteri & ei vicinis. Inter causas externas etiam numeranda assumpta, sive alimenta nimis voraciter, aut parcius, nulloque ordine ingesta, sive res alię ineptæ nostræ nutritioni, in quas sæpe stultus fertur gravidarum appetitus, sive medicamenta fuerint aut inconsideratè adhibita, aut sero conatu admissa ab iis, quæ plus semel didicerunt vendere virginitatem. Huc referri debet omnis vehemens purgatio, V. S. interpeffivè instituta, menses, aliaque vehementer moventia medicamenta. Possumus denique externis etiam annumerare suffitum aromatum, de quo exstat Aphorismus 28. sect. v. Sunt autem hæc causę fere ejusmodi, quas medici evidentes vocant, & procatarcticæ externę, quæ raro ita solâ suâ vi (quanquam hoc etiam esse possit) absque dispositione prævia abortum excitant; articulo sequente eas videbimus, quę apud medicos latentes, etiam antecedentes audiunt. Has non malè *προφάσεις*, sicut priores *ἀφρομας* dixeris.

§. VIII. Internæ causæ vel ad matrem spectant vel ad ipsum foetum, vel ad ambos. In matre consideramus quantitatem, qualitatemque spiritus, sanguinis, atque humorum, tum structuram uteri & vicinarum partium. Quod spectat ad quantitatem dicimus, etsi sanguis & humores crassi satis bona & facultate sunt, sola copiâ, quam plethoram dicunt, excitari posse abortum. Non ignoro esse hoc seculo, qui se omni antiquitati opposites, omnem in sanguine plethoram expungunt, quanquam in aliis liquoribus ut chylo &c illam aperte concedant. Sed tamen affirmant, quos legi, omnes fere practici, frequentissimam causam abortus esse plethoram. Scilicet dum ex abundantia matris in toto, plus sanguinis atque humorum, quam requiritur ad nutriendum tenellum adhuc foetum, confluit ad glandulosam uteri tunicam, vascula arteriarum, quibus vel per anastomoses vel alio modo coherent extremitates vasorum, præsertim venæ umbilicalium, nimis distenduntur. Sed quia hic venæ umbilicalis principia adhuc admodum tenera sunt, non capiunt quicquid sanguinis per hypogastricas & spermaticas arterias adfertur. Hinc accidit, quia laxius, præsertim primis gestationis temporibus,

bus, quibus ex hac causa frequentiores abortus excitantur, sibi hæc vasa conjuncta sunt, ut primo quidem aliquo modo à se invicem sejungantur, tandem vero, si copia, neque maturè adhibita phlebotomia, neque alio remedio tollitur, fœtus omnino dissolvatur. Dissolutus ita à nexu fœtus sæpe statim urgente insigni hæmorrhagia foras protruditur. Pertinet huc quoque, si vel natura matri parcius sanguine sit prospectum, vel notabili evacuatione aliqua multum sanguinis sit profusum, huc pertinent intempestivæ v. Sectiones, & immodicæ aph. 31. sect. v. Fluxus mensium largior, sive is fuerit ex vagina, sive ex ipso utero tempore gestationis, sive ex utroque ante graviditatem. His accenseri quoque debent profluvia humorum aliorum copiosa, qualia sunt, fluxus alvi tam Dysentericus, quam humoralis aph. 34. sect. v. Hic locum etiam suum habent sumptomata, quæ ex defectu spirituum, aut irregulari ejus motu oriri vulgo statuunt practici, vigilæ nimix, amini deliquia, convulsiones, quæ omnes non infrequentes sunt, ita narrat Platerus capit. de part. excret. Quandam in ipso paroxismo convulsions abortivisse, posteaque rogasse, quid illi de ventre factum esset. His omnibus juxta aphorif. 25. §. VII adjungere possumus tenesmum.

§. IX. De sanguinis vitiosa qualitate dicimus multiplicem in eâ esse differentiam. Et, etiamsi veteres minis fortassis curiosi fuerunt, qui omne humorum vitium ad quaternariam cacochumiam revocarunt, tamen immerito ab iis culpantur, qui, cum vident non tam ad primas, quam ad alias facultates esse respiciendum, ad solas partium essentialium magnitudines, figuras, soliditates, &c curiosius quam utilius detecta respiciunt. Quasi particule illæ ita seorsim consideratæ secundum minimas figuras cacochymiam efficerent. Est alia partium per se, alia quatenus mixtæ sunt ratio. Nam sicut nunquam ita seorsim reperiuntur cacochymia biliosa, pituitosa, melancholica, serosa: ita nunquam particule scindentes, quæ acidum, nunquam pungentes quæ salsum constituunt, ita solæ in corpore agunt, ut non mixtæ sint vel cum aqueis, oleosis, viscidis &c particulis. Ante tot secula Senex vidit inconprehensibilem esse humorum *diversum*. Nos retinemus Antiquorum, aut saltem tam vehementer in ea non debacchamur, vocabula, quæ, ut inquit Sennertus, sapienter ab Iis rebus imposita sunt. Quoties ergo viscidiores sunt humores (ut solent sibi gravidæ dum suis desideris nimis indulgent multas cruditates colligere) obstruuntur glandule, non solum ex, per quæ secerni debet alimentum pro fœtu, sed ex etiam, quæ aliis secretionibus sunt destinatæ; ex quo sæpe duplex malum, 1. Atrophia & debilitas in fœtu, 2. In matre postea cachexia, juxta aph. 45. sect. v. Acriores si sunt

sunt humores alimentum nimis reddunt tenue; & qui succus lenis atque mollis esse debebat, acrior fit nec satis aptus, ut adhæreat augetur embruonis partibus; quod sæpe iuvat flacciditas & concidentia fibrarum, quas deficiens vel tardius motus spiritus non satis distendit.

§. X. Structura partium & ipsius uteri vitiata, vel malè ab ipso ortu conformata abortus efficit grandiores, & fere perpetuos, ut habet Hippocrat. libr. de *Superfœt.* Ad malam uteri conformationem refer, si non satis est capax, si membranæ duriores, & cedere nesciæ, sive hoc ætate contingat, sive naturale sit: Ad partium vicinarum structuram vitiosam facere potest, si ossa illi, pubis, & sacrum vel nimis angustam pelvim faciunt, (quo referri potest aph. 45. sect. v.) vel tam arcte sibi adhærent, ut nihil mole fœtus cedant. Puto enim non solum in ipso partu, sed toto etiam gestationis tempore hæc ossa aliquo modo laxari, dum à continuo humorum ad has partes affluxu ligamenta eorum molliora fiunt & flaccidiora. Præter hæc uterus causa esse abortus potest, si colluvie serosa oppletus, vel ex insigni alia cacochymia inflammatus aph. 43. §. v. vel à secretâ præterea & corruptâ materiâ gangræna, tumoribus, sarcomatis, aliisque excrescentiis obsessus fuerit.

§. XI. Rarissimum quidem est matre ægotante fœtum quoque morbo non corripi. Quomodo enim materni humores vel ex depravata ventriculi concoctione crudi, vel ex causis aliis corrupti & aciores redditi fœtum, qui nondum vitam vivit sibi propriam sed communem cum matre, & sanum relinquere possunt, & firmum? Potest tamen bene sese habente matre, morbo affici fœtus, nam & concoctiones in eo à matre sunt distinctæ, & secretiones excrementorum aliæ & magis debiles. Hinc fit, ut vel ab admissio frigore externo, vel levi matris errore in diætâ, vel repentino animi affectu, quæ parum nocent matri, magna fiat in œconomia fœtus mutatio. Quod docere nos possunt morbi, ut sunt icterus, aphthæ, tussis, variolæ, qui sæpe statim ab ortu infantes comitantur, à sanissimis etiam puerperis editos. Quorum causæ, etiamsi non nego in utero esse acquisitas, tamen male à matribus sæpe haustæ putantur; cum fieri potest, ut etiam elaboratissimum alimentum fœtui suppeditatum, male ab ipso vel subigatur porro, vel secernatur. Præter hæc, quæ fere tanti non sunt, in fœtu vitium est, si mortuus est, si placenta minus firmiter utero cohæret, si ipsa placenta muco obsessa, si mole grandior ipsum fœtum opprimit; si multiplex est ipse fœtus.

§. XII. Raro equidem accidit, ut ita separatim aut mater, aut fœtus afficiatur, solent frequentius se invicem hæ causæ fovere; ita crudum à matre alimentum fœtus non solum non magis elaborat, sed sæpe corruptius matri remittit, ex quo & febres accendi, & inflammationes, & alia exoriri in fœtu & matre possunt mala, quæ postea causæ abortus evadunt.

§. XIII. Ita hæc in corpore fieri possunt motu mere corporeo, & ut vocant automatico, restant quædam causæ alię, cum quibus mens se conjungit & quas nos superius neque ad internas neque externas revocare volumus. Non enim absimili modo nobilissimus Renatus des Cartes eas imaginationes & circa eas occupatas phantasias, quę fiunt ex fortuito spirituum in poros cerebri influxu, non inter animi affectus ponit, quia ita notabilem & determinatam causam non habent, ac eæ, quę ope nervorum commotiones in mente excitantur. vid. *Libr. de passion. part. i. §. xxv. Licet si generalius sumitur nomen affectuum, etiam ad hos referri censet posse has imaginationes §. xxvi. Sicut nos hos animi affectus vel ad internas vel ad externas causas referre possumus, prout magis vel minus nota est ipsorum causa procatartica. Novit unus quisque, quam vim in corpus habeant cogitationes; quæ tamen raro ita sunt inordinatæ, nisi à sensu, sive objecto externo seducantur; atque hinc est quod appetitus, quos vulgo sensitivos dicunt, quia sequuntur non rectæ rationis ductum, sed cœcum sensuum impetum, tam vehementem ataxiam in spiritibus sanguine & humoribus excitent: & quia hi appetitus sæpe objectum aliud adhuc habent extra corpus circa quod versantur, ideo superius ea effecta, quę producunt, ex mixta vel duplici fere causa provenire diximus. Præcipuum malum, quod hic ex appetitu timemus, est, quod sæpe feratur in ea, quæ aut presentia non sunt, aut nullo modo comparari possunt. Est ea causa sæpe vehementissima, sicut narrat Lemnius de *occult. nat. miraculis* abortum gemellorum trimestrem, ex negata re, quam avidè gravida desiderabat excussum fuisse.*

§. XIV. Appetitus sensitivi fere perpetui sunt comites animi affectus, quas sane rectius perturbationes dixeris, quia ortæ ex inordinato spirituum in cordis parenchyma & alios nervos influxu, quem excitavit iudicium, aut appetitus sensitivus; animæ quietem & placidam constantiam in contemplandis rebus, & ferendo de iis iudicio evertunt. Inter has animæ perturbationes vehementissimam Sylvius iram arbitratur; nos terrorem, metum, odium, gaudium subitum, deperditum illicitumque amorem &c addimus.

His

His sæpe aut inordinatius in fibrosam uteri tunicam, ipsiusque vaginæ sphincterem influunt spiritus & matrem ad expellendum fœtum sollicitant, aut alio avertuntur, quo fit ut fœtus debilitate & suffocatione intereat. Potest præterea ejusmodi cordis perturbatus motus, quo animi perturbationes excitantur, produci à qualitate alia vitiosa spiritibus, & sanguini permixta; unde sæpe accidit, ut quædam gravidæ sine ulla causa manifesta, ad mestitiam, terrorem, aliasve perturbationes sunt compositæ. Et tum hæc causa ad internas ablegari debet.

§. XV. Quantum vero pertinet ad appetitum, de quo dictum est §. XIII. explicari hic elegantius posset, quomodo vel in fœtu sæpe notæ rei appetitæ relinquuntur, vel effero gravidarum desiderio abortus excutiatur. Est autem appetitus unus ex istis animæ perturbationibus, quæ nobis ab ipso ortu maximè familiares fuerunt, & quo omnes nervi, vasa sanguinea, muscoli ita sunt disposita ad recipiendum majorem Spirituum sanguinique influxum, ut statim appetente muliere sponte absque præsentem mentis determinatione copiosius ex cerebro spiritus ruant. Fluunt vero hi spiritus singulari consuetudine magis in eas partes, quibus & convenientus videtur appetitûs objectum, & facilius comparari id potest. Cum autem gravidâ omnia vota sua, omnemque spem habeat in fœtum, quem non simplici solum benevolentia, sed singulari quoque amore tanquam pignus & testimonium non sterili conjugii complectitur, facile intelligimus appetente gravidâ constantem ad hunc copiosumque humorum affluxum. Neque hæc spirituum humorumque aliorum ad uterum translatio, si quidem in bonum ipsius fœtus fiat, tantum nocere potest, sed quia cum isto appetitu præsertim rei negatæ vel absentis sæpe junctæ sunt passiones tristitiæ, iræ, indignationis &c, quibus vel nimis subito sistuntur, vel irregularius agitantur spiritus, & tota massa sanguinea; Eo fit ut iste humorum confluxus quæ primùm saluti erat fœtui, fiat eidem postea perniciosus.

§. XVI. Hactenus hæsimus in causis remotis, quæ nunquam sine proxima, quæ matris est abortum excitant. Est autem hic proxima apertio uteri ante legitimum tempus. Hanc si penitus explicare volumus, necessaria est uteri ipsiusque orificii ex anatome curiosior notitia; hoc modo in considerationem quoque veniunt Pubis ossa, sacrum, muscoli abdominis, vaginæ, nervi, vasa sanguinea & in genere omnia, quæ instrumenta cujuscunque in utero motus vulgo perhibentur. Non capiunt nostræ pagellæ horum omnium operosam & particularem explicationem. Quare lectores

vel ad Anatomicos, vel ad prœticos, qui copiosè de naturali partu (cujus notitia hic multum prodest) scripserunt, remittimus.

§. XVII. Signa abortûs vel imminentis sunt, vel præsentis. Imminentem sæpe indicant prægressæ causæ, terror, ira, aliique affectus animi, salus, cursus, equitatio, etiam abortus antea facti, & reliqua quæ inter causas evidentes ante recensuimus. Certius signum præbent dolor in hypogastrio ad coxas, pubem & lumbos vergens, conatus qualis sæpe adest parturientibus, rigor & horror totius, præsertim si mortuus est fœtus, subita corporis præcipue mammaram extenuatio, constrictio, & motus abdominis quasi convulsivus, quibus si accedant cephalalgia, febris, & copiosa paraque mensium profusio certissimo concludere licet instare abortum.

§. XVIII. Sed præter hæc accidit sæpe, ut menses fluant vel ex vagina, vel ex ipso utero, ea scilicet in parte ubi placenta utero non adhæret; & tamen nullo modo sequitur abortus: Sed inter mensium profluvia, quæ ex vaginâ emanant, atque ex ipso corpore uteri, hoc interest; quod fieri quidem potest, ut in medio quin etiam sine gestationis menstrua prorumpant ex vagina; ex utero vero fieri id posse non videtur, nisi in principio, cum nondum tam arctè occlusum est osculum uteri internum. Ita purgari existimo satis naturaliter posse mulierem post conceptionem, si scilicet triduum aut biduum ante statutum fluxus tempus res habita est. Non enim statim atque spiritus feminis attingit ovulum, protruditur hoc per tubas ad uterum; sed tempus requiri manifestum est, dum intumescit, dum tunica, qua in ovariis continetur rumpitur, dum constrictione tubæ propellitur ad arva naturæ. Sic fieri quidem potest, ut interea, dum hæc naturali lege peraguntur, menses ut solent, foras effluant. Neque hæc fieri sine qualicumque voluptate in corpore muliebri, valde est credibile; si quidem majore motu & confluxu spirituum ad has partes, fibræ gratius vellicantur, atque hinc fortassis invenis apud Hippocratem libr. de *genitura*, ut vertit Cornarius, *Quod si fœmina partus perita sit, & cognoverit quando genitura non exciderit, sed intus manserit, sciet qua die intra se ipsam concepit.* Sed quid si menses profluunt affixo jam fœtu? Concessi id saltem in principio, in quo valde quidem constringitur osculum uteri internum, sed tam arctè fibræ videntur comprimi non posse, quin aliquis mucus requiratur, qui oppilet omnes cæcos & relictos meatus; Qui mucus cum tempore secernitur atque ibi deponitur, fieri potest, ut, antequam sufficiens copia istius adest, osculum aliquo modo conniveat, pateatque effluenti sanguini.

Talis

Talis sanguinis evacuatio, cum spontanea sit, nulla gravior atque morbosior conjuncta habet symptomata; sed sæpissime, non alias quam à naturâ instituta hæmorrhagia, vel artificiosa phlebotomia bono accedit gravidæ. Quod conicere possumus vel si nulla ut dictum est adjuncta sunt symptomata, vel ea tam levia ut statim cessante fluxu, & clauso rursus uteri orificio, propriis naturæ viribus remittant.

§. XIX. Signis §. XVII. enumeratis adjungere possumus, quod observatur à practicis, sæpe à gravidis sentiri foetum liberum, & remotum à sua sede provolvi ad alias uteri partes: Quod si experiuntur gravidæ, certissimum est indicium, præsertim in foetu grandiore, jam dissoluta esse ligamenta, disrupsasque secundinas: quod confirmari possit, si tum non purus sanguis, sed serosiores mixti humores cum ipso copiosius prodeant. Signa abortûs præsentis oculis patent, & expiscari debent ex obstetricibus, quæ referri debent de situ foetus & motu versus vaginam; non alias ac fit in partu difficiliore. Causarum signa multiplicia sunt, & sæpe astutiâ atque industriâ solâ medici patefcunt.

§. XX. In prognosi sciendum, abortum sæpe vim & molestiam majorem inferre, quam legitimum partum, præsertim si foetus est grandior; in quo iste nexus per vasa sanguinea & membranosa adeo firmus est, ut non sine utriusque matris & foetus læsione dissolvi possit. Hinc fit, ut non raro pars secundinæ utero adhuc annexa maneat, quod causa postea est vel diuturni fluxus, vel inflammationis, vel gangrenæ, vel cachexiæ, ut observavi quandam mulierem ex abortu pertinaci adeo mensium obstructione esse correptam, ut postea vix ab incipiente ex hac hydrope præservari potuerit. Contingit ejusmodi partium laceratio etiam non raro in legitimo partu, dum obstetres præpostera festinatione has partes vehementius avelunt. Cæterum observat *Helmontius Titul. Flux. ad generat.* abortum se detinuisse, quoties esset ex symptomatice thymosi, aberrante solo utero; præcavere autem non potuisse, si causa esset casus matris, animi perturbatio, monstrositas foetus vel ejus mors.

§. XXI. Ubi jam ex signis supra datis vel uno singulari, vel pluribus junctis (nam optime advertit *Sennertus* raro esse unum alicujus morbi signum pathognomonicum, sed signa pathognomonica plerumque constitui ex pluribus, quæ si seorsim sumuntur pathognomonica non sunt) constat instare abortum. Præcipua res agenda 1. exclusio foetus ne fiat, 2. ut minuantur symptomata. Causæ externæ protinus arcendæ, animi affectus componen-

ponendi, indulgendum etiam vindictis gravidarum, si sibi vel læsam famam vel alio modo factam injuriam putant. Postea demulcendus animi æstus. Parum profeceris, si inconstantia & furori muliercularum te opponis.

§. XXII. Ex thesi præcedente patet, in curâ ad duo potissimum esse respiciendum 1. confirmandum in situ fœtum, præveniendamque ipsius expulsionem, secundo mitiganda sumptomata urgentia. Nolumus hic persingularia ire, & ostendere quomodo hunc vel illi particulari accidenti sit occurrendum. Melius id faciunt practici, qui *αὐτοψία* & experientia confirmati id fideliter in scriptis suis tradiderunt. Moneo tamen, recte à nonnullis curam dividi in eam quæ fieri debet in paroxismo, hoc est ubi jam metus est ne grvida præmaturè fœtum excutiat, vel ubi eam jam excussit, & in eam quæ instituitur præservationis gratia in vel extra tempus graviditatis. Quod spectat ad priorem, dicimus ratione causæ curam variam esse instituendam.

§. XXIII. Si à casu, saltu, curruvectione imminet abortus, imperetur quies, & abstinencia à similibus exercitiis. Dentur quæ nimia humorum, & sanguinis agitationi resistent, ut sunt pertinacia ex Margaritis, oculis Cancrorum, sanguine Draconis, hirci, quæ specifica habentur in casu, ut & sperma ceti, & rad. rubia tinctor. & myrrha, hæc admiscere possumus opiatibus, ut diafcond. Frac. confect. hyacinthorum &c.

XXIV. Per casum alibi, & quidem circa hypogastrium facta est aliqua contusio, jube bono animo sit ægra, & nega ullum ab hac re esse periculum. Aer fervidior, ut fieri cœstu caniculæ potest, induxit ebullitionem in humoribus majorem; præscribe potionem ex rad. Scorzon. Santal. citrin. Glycyrriz. Herb. Acetos. Cichor. Meliss. Borag. Ros. rubr., cui addi potest malum citrinum, aut ejus Syrupus in decocto. Fulmine vehementiore aut alio subito terrore omnino videtur sisti influxus spirituum, & humorum motus, acceditque jam lypothymia, præmissâ phlebotomiâ exhibeantur statim spirituosâ ex cinnamomo, ejus aquâ, aromatis, spirituosâ, spiritu salis armoniaci, salibus volatilibus, ol. macis, confect. Alkerm., aq. rorism. C. C. philos. ppt. &c. Si in ventriculo insignis est humorum copia, videndum an sola quantitate, an vero exuperante præterea facultate sit vitiosa. Nocet sola quantitas, licet in gravidis periculosa sit vomitio, tamen si jam nausea & vomitu à natura vexantur, mihi dubium non est, quin bonum sit, naturam leni suppeditato vomitorio ex oxumelite vel simplici,

plici, vel scillitico cum aqua tepida & ebuturata adjuvare. Molesta est in signis cacochymia abstinere à vomitorio, nec quidem lenissimo purgante utere obtundatur primo acrimonia. Postea, si purgare placet, sit purgans ex specie diaturbith cum rheo, cui vel ocul. 69, vel mastix, vel sal prunellæ, vel simile quid corrigans acrimoniam addi potest. De fluxu nimio mensium, deque diarrhæis statim videbimus. Suffitus aromatum, de quo extat aphorismus, casus est rarior, præveniri in his sæpe abortus potest substitutione fœtidorum circa pudenda.

§. XXV. Plethora, si sola minatur abortum, præsentiore remedio non tollitur, quam V. sectione in brachio instituta, & modico postea ipsius gravidæ exercitio, & abstinentia ab iis, quæ laudabilem generant sanguinem. Ejusmodi v. s. hodie ita familiaris est, ut, non urgente quodam periculo abortus, sola præservationis gratiâ multis imperetur, favente huic sententiæ aphorismo 1. sect. iv. Neque meo judicio cuiquam bene dissuadetur, si apparent notæ plenitudinis: Neque obest aph. 31. sect. v. Est autem ibi sermo, de largâ profusâque v. sectione, quam veteres instituire solebant ad libras aliquot viriumque defectum. De hac vacuatione legi potest purissimus Celsus cap. x. libr. 11. Cujus sententiæ quoque favet Fernelius, qui in profluentibus mensibus, puerperisque optimè purgantibus sanguinem ex cubito vacuandum censet. *Method. Med.* cap. viij. Ita agendum si sola copia humores nocent. Quid autem si deficiunt, nec capiâ sufficiunt nutriendo fœtui? Accidere id posse comperio vel inopia convenientis alimenti, vel notabili humorum profluvio, qualia sunt fluxus mensium immodicus, hæmorrhagia, dysenteria, diarrhæa. Illi cardiacis cibis, solidioribus, euechymis, vino annoso medemur, huic major adhibenda circumspectio & cura.

§. XXVI. Fluxus quidem mensium, si spontaneus est, sola quiete, vel confortante non raro curatur. Acciderit ergo sine notabili orgasmo in sanguine, sine læsione œconomix animalis vel naturalis, sine virium jactura, vel quiete consulatur tantum, vel decoctum, claretumve præscribatur ex Conserv. Borag. Anthos. Ros. rubr. Cinnam. malo citrino syr. violar. aut de rosis siccis & similibus. Nimius autem est, debilitaturque eo æger. Protinus causas procatarticas investiga. Si actum aliquid comperies barbara insolentia à corruptis, jubendum ab ejusmodi conatu. Medicamenta sunt inconsiderate assumpta, ab iis omnino abstinendum. Deinceps omnia opera cohibendus fluxus: In principio quidem mitioribus coralliis, C. C.

ust. ocul. Canc. Rasur. ebor. Mastich. succino, thure. Margar. lapid. pretios., cinnam., Nuce Moscat., &c., ex quibus fieri possunt pulveres, & exhiberi cum vino rubello. Utimur similibus quoque in mixturis, & aliis formis additis opiat in parva quantitate. Si vero perseverat fluxus, acceduntque effervescentiæ majores, confugiendum erit ad adstringentia fortiora Rad. Tormentill., Bistort. gran. tinctor., Herb. Menth., Plantag., Equiset. Polyg. Mas, Flor. Rosar. rubr., Balauft., ex his decoqui potest apozema. Hic laudantur & pertinacia, & opiata, Terr. sigillat., Bol. Armen., Sang. Dracon. Lapid. Hæmatit., Cort. Granat., Succ. Acac., Diacord. Frac., Confect. Hyacinth. Theriac., ipsumque opium. Hæc omnia pro desiderio gravidarum variis modis miscentur, variisque formulis propinquantur. Vehementer extollit Hartmannus Magisterium corall. cum aq. vitæ, aut flor. Tiliæ exhibitum, sicut & decoctum Tormentillæ cum lapid. hæmatitide. Exterius admovemus fomenta ex vino Hispanico cum adstringentibus, & sacculos ex floribus Camomill. Melilot. Herb. Menth. Sem. Cumin. Anisi, quæ tamen in multis minis calida sunt. Ita observat Sydenham pag. m. 185, in matrona nobili, quæ nigris variolis obsessa tam largo mensium profluvio corripiebatur, ut adstantibus jam abortiisse putaretur, solum lactis & aque usum profuisse. Utimur quoque unguentis & linimentis, quorum formulas abunde tradunt practici. Sennertus laudat. ung. Comitiss., scribitque id mirè præservare abortum. Quidam in hoc casu utuntur frictionibus partium superarum, etiam cucurbitulis, & venæsectione; à qua tamen vehementer timendum est, ne debilitata jam multum ab isto fluxu gravida majorem adhuc virium jacturam faciat.

§. XXVII. Largior hæmorrhagia, si primis gestationis mensibus accidit, neque eâ male habet gravida, videtur ipsi fœtui prodesse magis, quam nocere. Symptomata vero est, si fit cum ingenti fervore & concitatione sanguinis. Quo animadverso non raro sectâ venâ in cubitò optimam medicinam facimus exhibitis præterea, quæ §. XXIV. præscripsimus. Insignis vis est in hoc casu Diacordum exhibi cum tinctura opii cum sale Tartari parati, nec minoris etiam boli armen. cum sale Nitri. ceterum eadem hic ferè cura observatur, quæ in nimio menstruorum profluvio, præterquam quod topicis sæpe opus habeamus. De his videri possunt practici.

§. XXVIII. Fluxus dysentericus comitem revera habet majorem sanguinis acrimoniam, ad quam potissimum medentis cura debet esse conversa. Corrigen-
dum potius illa est, & Rheo additis mastichæ, nuce moscata eli-
minan-

minanda materia, quam vehementi adstrictione cohibenda. Quin evenire potest, ut ab omni purgante vacatione abstinendum, & ne quidem lenissimo clystere, cujus alioquin frequentissimus usus est in dysenteria, utendum sit. Si scilicet est epidemica, quæ peculiari contagii fermento latentes struat insidias. In hoc casu statim fugiendum ad sudorifera, & exhibenda, quæ isti contagio specialiter resistent. Si huic conjuncta sunt convulsio, aut tenesmus, quibus excuti posset foetus, horum maxima habenda est cura; aliàs si solitaria sunt, optimè post partum curantur, adhibita solum in gravidis circumspectione, ne vehementiora evadant. Quantum ad alvi profluvium pertinet, quia nolo ire per singula, hujus cura videatur apudautores.

§. XXIX. Immodicam morbosamque vacationem, quæ causa esse abortus posset modis supra dictis curamus. Sed quid, si non tam vehemens humorum, sanguinisque evacuatio, quam facultas horum, & crasis peccat? observatus enim est in multis fluor albus tam acris, ut perinæum, & femora phlogosi inficeret. In hoc casu duo mihi videntur præcipuè observanda. 1. Ne, si videmus humores à natura per quædam loca expelli, ut esse possunt, uterus, alvus, vesica, os, nares &c. statim adstringentibus, revellentibusque utamur: Quin potius viæ patefaciendæ magis, & corrigenda peccantium humorum acrimonia, ne aliquando ab reliquâ, massa secreti fermentationes excitent magis morbosas. 2. Cavendum est, ne, si proprio stimulo nondum ad aliquas partes excretorias confluit humor vitiosus, festinemus statim eum medicamentis foras expellere. Alius subactione mitigatus redit ad naturalem amicamque corpori indolem, alius sine præviâ correctione nunquam aufertur. Prudentis est respexisse ad qualitatem & fluxum humorum, quibus facile medetur, qui experientiam & naturæ ductum secutus non seducitur specioso titulo novitatis.

§. XXX. Structura uteri, vicinarumque partium incurabiles fere efficit abortus. Tumores, inflammationes, gangrænæ, & excrescentiæ aliæ eo modo hic curantur, quem in propriis de istiusmodi affectibus capitibus præscribunt autores.

§. XXXI. Morbi infantis non facilè noscuntur. Constiterit tamen bene sese habente matre; præmaturè foetum excrescere, alimentum parcius sumet gravis, & subtrahet materiam ulteriori incremento utilem. Perspectum habemus læsa separatione in placentâ foetum permanere tenerionem. Attendendum

dendum ad structuram glandularum, atque exhibenda, quæ leniter illis obstructions expediunt. Fœtum mortuum, si debilior mater extrudere non potest, optimè tollit bona *ἐπιχειρησις*.

§. XXXII. Ab appetitu, præsertim rei non præsentis aut denegatæ, tanta non raro in gravidis fit humorum ataxia, ut, relicta omni indicatione alia, solis opiatæ Spiritus consopendi sint. Plurimum hic profunt illecebræ blandientis mariti, qui se promittat daturum omnia, modo appetat, quæ ipso tempore comparari possunt. Precetur ne & se, & prolem, stirpemque communem perditum eat. Persuadeat non appetitu solum, quem cum belluis communem habemus, sed etiam ratione prudentiaque esse vivendum; sensus esse, à quibus, in cæteris cum generosa sit, turpe est illam de consuetudine animi fortitudine dejici. Perspexit vero simulare uxorem, ut solent non inhonesto sæpe pudore affici mulierculæ, expiscetur in quam rem appetitu feratur. Ut cognitum habet, quid desideret conjux, inhianti vota apponat, quam si videt lætari oblati, neget sibi sapere hæc fercula, lætari magis, quod cernat uxorem competem desiderii, quod modesto hæctenus silentio maritum celaverat. Profuit etiam ut observant auctores, vel solas relinquere uxores, ut votis suis fruantur liberius, vel exponere iis in locis, in quibus scimus sæpe solas morari.

§. XXXIII. Majus est periculum si cum appetitu conjunctus est affectus iræ vel alius gravior. Periculum faciendum tunc ab iis, qui mulieris

Molles aditus, & tempora fandi

Norunt, an non precibus, pollicitationibusque flecti possit. Adhortandum, si admonitionibus locus non est, ut à Medicis auxilium petat. In ejusmodi commotione mentis præsentis simul magna in toto effervescentia, non malè statim vena secatur, præcipuè cum quoque appareant aliqua notæ plenitudinis. Factâ phlebotomia propinetur *καρπυδάκνον* ex Diacord. Confect. Hyacinth. ocul. 69. ex. gr. Recipiantur aq. Meliss. vel Borag. vel flor. Papav. errat. ℥iv. Cinnam. ℥iij. Confect. Hyacinth. ℥ij. Margarit. ppt. Corall. rubr. a. ℥j. Syr. Papaver. errat. ℥vj. In iis, quæ rei sunt lautioris, addi possunt Bozoar orientalis. vel occident. unicornu &c. Si his non sedatur orgasmus licet confugere ad opiata, & exhibere Diacord. cum tinctura opii, additis quoque pertinacibus. Quin & si cæstus aliquis adest ex febrili ebullitione oriundus boni hic usus esse possunt emulsiones ex aq. Hord. Sem. Papaverino, 4. frigidis addito sale Nitri, Syr. Papar. Rhead. &c.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Quibus omnibus hæcenus compendiosè præscriptis si nihil effecimus, urgentibus interea insigni ad ossa Pulis dolore, largo mensium profluvio, Lypothymia, aliisque sumptomatis. Cogitandum omnino futuram abortum, nec melius sæpe fieri posse, quam ut abstineat ab usu medicamentorum, præterquam ab iis, quæ vires refocillant, neque partum impediunt, quem in impetuosis sumptomatum tam gravium procellis præcavere non possumus.

§. XXXV. Excluso abortu, quia sæpe major est abortire molestia quam parere, ratio præcipue habenda est matris. Infans editus, si vita fungitur, blandè foveatur, & ab omni externo frigore diligenter præservetur. Lochia & fluxus Matris sedulo promoveantur, eo modo quo id fieri necesse est in partu Legitimo.

§. XXXVI. Non raro in præmaturâ hac fœtus exclusione vasâ quædam sibi frimius adhærent, quo fit, ut post abortum sæpe aut continua hæmorrhagia, aut pars aliqua secundinarum in utero maneat. In hoc casu utile Lochia promoventibus reliquias statim expellere, ne relictae aut inflammationem aut gangranam inducant. Ad hunc finem præscripsit Hippocrates Fœniculum cum vino *Libr. de natur. Muliebr. Text. Lxx.* Etiam allia cocta aut assata in vino, castoreum, rutam, & polypodium 1 *Lib. de Morbis Mulier. text. LXXIV.* Si vero corrupta sit in utero secundina *text. LXXVI.* ejusdem Libri præscribit Artemisiam, dictamnium, & florem violæ alvæ &c. Insignis quoque est potio expressa apud Sylvium in sua praxi *Lib. iij. Cap. vj. §. CLXIX.* Præter hæc ex eo cocleari sumi potest sequens, que ꝑ. Aq. Puleg. Artemis. a. ꝑij. Borac. venet. ocul. 69 aa. ðij. Croc. opt. ðss. syr. Artemis. ꝑss. si vehementes adsunt dolores loco syr. Artemis. addi potest syr. Diaçod. Utatur duobus coclearibus singulis, aut etiam mediis horis, etiam tardius, si debilior est puerpera, adhibitis præterea clysteribus ex herbis accommodatis & fomentis.

§. XXXVII. Sic gravidis, periclitantique proli auxilium ferimus. Iis quæ non gestant, sæpiusque abortum excusserunt restat facienda medicina. In hac re ad tria video potissimum esse respiciendum, ad uterum, ad sanguinem & humores, atque ad animi pathemata. Uteri nimia laxitas aromatis & blandè adstringentibus curari potest. Humores in ejus tunicis congesti per menstrua expelli possunt, vel subacti, atque correcti evacuari per sudores, & diuresm. Ossa Pubis vel atate, vel errore externo minus mo-

Evolvit omnes Hippocratiis libros,
Celsique magni docta volumina,

Quod Sylvius Stenoniusque

In nitidis docuere chartis.

Quin & stupendi viscera corporis

Lustravit, almi qua digitus Dei

Miraculis replevit ingens

Noscere seque dedit creatis.

TARGIERE felix dotibus ingeni,

Quem Diva Pallas nutrit in sinu,

Novemque formavere Musa,

Et Charis egregie polivit!

Accede tandem, & mitius annue

Lusis in usum letitia modis.

Accede laudatus, decusque

Accipe cum meritis tropæis.

Te poscit undis Amstela lenibus,

Te Merva poscit, te tua Patria

Et ripa, qua mecum solebas

Dulcisonas agitare chordas.

Applaudit isti RAIUS omni,

Fundamen ingens iudicii tui,

Ductorque laudandus sagacis

Et solidum columen juventa.

Hæc jure magno gaudia duplicat

VALLANNUS, almi natus Apollinis,

Qui dextera felice servos

Exagitat minuitque morbos.

O Pars meorum magna sodalium!

Assume magnum hoc tempore spiritum!

O digne Palma, digne Lauro,

Et meliore canende plectro!

Sic te merentem postgeniti colant,

Curruque sic te portet eburneo

Excita fama laude justâ,

Et canat ipsa tuos triumphos.

D. van HOOGSTRATEN, M.D.